

Ades ergo | cum Panisco  
 memor | hoc munere nostro |  
 natis sospite matre; |  
 facias videre Romam |  
 dominis<sup>3</sup> munere hono|re  
 mactum corona|tumque.

*Lambaesi (VIII 2652 vidit Wilmanns). Cf. Buecheler carm. epigr. n. 1519. — 1) Videtur scribendum bimater (quadratarium aberravit in versum sequentem), ut Bacchus vocatur etiam ab Ovidio met. 4, 12 et alibi. — 2) Praefectus. — 3) Fortasse M. Aurelius et Verus, quorum aetati carmen optime convenit.*

**3375** fecerat Eufranor Bacchum, | quem Gallus honorat |  
 fastorum consul<sup>1</sup> carmine | ture sacris.

*Romae in monte Aventino rep., litteris non bonis (VI 48 vidit Henzen; cf. Huelbner ex. scr. epigr. n. 1444). Buecheler carm. epigr. n. 889. — 1) Significatur Gallus aliquis consul ordinarius, fortasse is qui consul fuit a. 298.*

**3376** Bacchum | et Sylenum (sic) | sobrios | vides: | sic cocum | decet.  
*Romae (VI 49 vidit Henzen). Cf. Buecheler carm. epigr. 1798.*

**3377** hic fuit horridus | ante locus, |  
 Asteri<sup>1</sup> consilio coe|ptus, Liberi ter Bromio.<sup>2</sup> |  
 Silvigeri<sup>3</sup> dei auxilium | renovatum in urbe.

*Romae (VI 462 viderunt de Rossi et Henzen; Buecheler carm. epigr. n. 894). — 1) Videtur esse unus ex Turciis cognomine Asteriis supra N. 1229. 1230, fortasse Apronianus praefectus urbi a. 365. — 2) Liber videtur dici ter Bromius, sed quam ob causam, obscurum (cf. Buecheler l. c.). Pro Bromio scribi debuisse Bromiq., ut vocabulum cohaereat cum iis quae praecedunt, putat Henzen. (Significari, filios filiasve tres Asterii dedicavisse vino et ture, nuper coniecit Momms.) — 3) Intellegi videtur Silvanus. Titulum prostitisse in aedicula Liberi et Silvani probabiliter statuit Henzen.*

**3378** pro salute | P. Betuleni | Apri liberis|que<sup>1</sup> eius Iovi | o. m.  
 Libero Lib.<sup>2</sup>, | Niceforus act.<sup>3</sup> | v. s.

*In Sabinis, prope locum dictum Lavarete, agri ut videtur Amiternini (IX 4315 vidit Dressel). — 1) Requiritur liberorumque. — 2) Liberae. — 3) Actor.*

**3379** Liberae | sacr.

*Romae, ara (VI 469 cf. add. p. 3005 vidit Henzen).*

**3380** Libero pa|tri et Liberae | M. Ulp. Fir|minus im|m. librar. | p.<sup>1</sup>

*Potissae (Torda) in Dacia (III S. 7684 vidit Domaszewski). — 1) Immunis librarius (cf. supra N. 2427) posuit. Alium titulum a milite quodam exercitus Dacici positum Libero patri et Liberae habes supra N. 2459. De Libero Dacorum cf. Domaszewski Rel. des roem. Heeres p. 54. Liberi Thracici titulos nonnullos dabimus infra in capite de numinibus peregrinis.*

**3381** templum Liberi | patris et Liberae vetus|tate dilabsum resti-  
 tuit | coh. I Belg.<sup>1</sup> adiectis por|ticibus, curam agente | Fl. Victore 7 leg. I  
 Ad. p. f.<sup>2</sup> | Severo et Pompeiano | II cos.<sup>3</sup>